

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Lembke

**Hermannus Lembke/ I.U.D. Cod. Prof. Publ. & Universitatis Rostochiensis p.t.
Rector ac Collegii Iuridici Decanus ... Ad Disputationem Inauguralem Dn.
Candidati Wulbrandi Adolphi Robbigii ab Hallerspring, Uflenia Westph. In
Auditorio Maiori, Die 21. huius Mensis Ianuarii ... habendam, Omnes omnium
Facultatum ... ac invitat**

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn735204675>

Druck Freier  Zugang



Höchstet der Konstantindienk

Proj. + Drp.

Ru. jw. 1658

Hermann Lembke, Druck

Wolbrandt & Gottlieb Robtigius, Proj.

mit Proj.



HERMANNUS Lemble/
J. U. D. Cod. Prof. Publ.

&
Universitatis Rostochiensis p.t. RECTOR
ac Collegii Juridici DECANUS,
Suo & DNN. COLLEGARUM nomine,

Ad
DISPUTATIONEM
INAUGURALEM
DN. CANDIDATI
WULBRANDI ADOLPHI
ROBBIGII ab Hallerspring,
Ufleniâ Westph.

In Auditorio Majori, Die 21.
hujus Mensis Januarii,

DEO volente,
habendam,



Omnes omnium Facultatum ac
Ordinum Cives Academicos, Literatos
Literarumq; amantes per amantem vocat
ac invitat.

ROSTOCHII
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.
ANNO M. DC. LVIII.

1658

Nillum majus VIRTUTIS alimentum ac
incitamentum dari potest; quām spes futuri
præmii aut subsecuturi honoris. Quan-
quam enim

IPSA sibi precii satis est, & solaper orbem
Fortuna securanitet, nēc fascibus ullis
Erigitur, plausuē petit clarescere vulgi;
Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex altâ mortalia despicit arce,
Hanc tamen invitam blandē vestigat, & ultrè
Ambit HONOR.

GLORIA enim industriam ali, & HONORE foveri artes,
omnesq; & hoc & illâ ad studia incitari à maximis Au-
thoribus est proditum, præprimis autem ad Legitimæ
Scientiæ culturam & observantiam VIRTUTUM PRÆMIA
inducere, à Papa in elem. cupientes 3. de pæn. traditum. Et
sanè ita hominis animum naturâ comparatum esse novi-
mus, ut quis non facilè gratis quicquam aut frustra susce-
ptum vēlit, sed omnibus actionibus certum aliquem
cumq; exoptatum præscribat finem. In expeditionem
iturus miles, eo unicē semper strenueq; allaborat, ut re-
bus fortiter gestis, viētrices ab hoste manus & spolia am-
plare portet, minimè verò ut in prælio succumbat, & al-
teri, quo cum se fortè commiserit, palmarum cedere coga-
tur. Mercator fragilem truci committit pelago ratem,
non ut naufragii pericula experiri, aut facere bonorum
sacturam velit, sed ut navem mercibus onustam in por-
tum pervehere & quicquid inde lucri promanet, in usus
convertere liceat. Alii alia captare pro instituti ratione
præmia consueverunt; quorum quædam tanto conspe-

ciorem

Et iorem gloriam suā quadam indole afferunt, quātō, qui
antegressus est labor impensior aut exquisitor fuerit.
Literarum certè studia reliquas in universum vitæ par-
tes longissimis post se parasangis relinquunt, & nulli fe-
rè negotio laboriosior quidem, sed nec fructuosior im-
penditur opera, quam huic: Nam licet etiam MARTE ad
famam & gloriam initio sat arduis, tandem quoq; felici-
bus satis pedibus eatur, ARTIUM tamen LIBERALIUM MU-
SARUMQ; via jure merito præferenda est, ut quæ ad longè
altiores honorum apices, multoq; majorem nominis fa-
mam ducat, solaq; homines animantib; brutis præstare,
quin ipsi etiam hominibus anteire faciat. Præterea lite-
rarum ista studia adolescentiam alere, senectutem oble-
ctare, secundas res ornare, adversis perfugium ac solati-
um præbere, domidelectare, foris non impedire, nobis-
cum pernoctare, peregrinari & rusticari, Romanorum
eloquentissimi testimonio novimus: quin & alterius
suffragio constat, literas, pulcherrimas hominis divitias,
& absq; iis vitam hominis, mortem, ac vivi quasi ejus se-
pulturam esse. Neq; etiam ab armis sed literis profectum
est, quod Lacedæmoniis *Lycurgus*, Atheniensibus, *Solon*,
Locrensibus *Zaleucus*, aliis rebus publ, alii Legislatores
optimas & saluberrimastulerint leges. *Alphonsus Rex*,
Librisne an armis plus inesse valoris arbitratetur? inter-
rogatus quondam, respondisse fertur, se pro libris stare;
quod inde & arma & armorum jura addiscerentur; quasi
dicturus fuisset, non solâ manu aut corporis viribus res
in bello gerendas, sed præceptis, consilio ac ratione, animi
magnitudinem velexitandam vel temperandam esse,
ut ob

ut eb eam causam Romana olim Respubl. plus ferē
MM. Scauris. QQ. Metellis. LL. Scævolis, scientiarum ac
virtutum Atlantibus, quām Scipionibus, Paullis, Marcellis,
Fabius, fortissimis bellorum Ducibus & Imperatoribus,
debuisse existimanda sit. Præstantissima igitur omniū est
litterarum cultura, adeoq; & laus, quæ indē promanat, ul-
tra cōmunem sortem altissimè enititur, honorq; quem
sui cultorib⁹ eruditio defert, eò reliqujs est excellentior,
quò studium, quod in istam confertur, ad divinitatis e-
minentiam propius accedit. Nam intellectus humanus
utut in se ipso supra hunc orbem collocatus non obscurè
emineat, si tamen excoli penitus & iis reb⁹ imbuī cœpe-
rit, quibus ut imbuatur, quām maximè expetit (quales
sunt plurimarum rerum cognitio, usus & experientia)
usq; adeò p̄cium sibi conciliat, ut difficile sit, eorum
quæ mundus in deliciis habet, quicquam inveniri, quod
cum eo componi possit. *Ipsa Juris Scientia* (ut de ea
saltem dicamus, & reliquas, quæ ad litterarum censum
pertinent, missas in præsens faciamus) ejus lucis clarita-
tisq; est, quā quibusvis aliis in orbe bonis, ut ut speciosis-
simis nebulas atq; caliginem offundere queat. Sedet ea
ipsa in Consiliis, fulget in tribunalibus, conspicua est in
foro, illustris in Legationibus, Ecclesiæ sacræ magnum
patrocinium præbet, nihil non bonum, salutare ac ma-
gnificum ad fert; absq; quā Regna, Principatus, Civita-
tes, nil nisi magna sunt latrocinia, audacia & impietatis
asyla, scelerum officinæ, & conclamatæ nequitiae latibu-
la; absq; quā Licentia immisis habenis omnes pudoris
& verecundiaæ limites supergressa, impunè dominatur &
furit,

fuerit, ut citius è corpore animam, è mundo solem, quām
Jurisprudentiam sustuleris. Jactet igitur aliquis divitiae-
rum cumulum, & ingentes auri argentiq; acervos; jactet
generis splendorem, ac familiæ nobilitatem; jactet alia,
quorum ob causam cristas erigere mortalitas consuevit;
adèò tamen iis omnibus nisi Juris doctrinâ & scientiâ in-
strutus fuerit, frustra erit, ut omnium præstantissimo
bono careat, & verò nec unam legem interpretari dissi-
ciliorem in jure nodum solvere, causam alicujus agere,
jus dicere, suum cuiq; tribuere, nedum, quod haud mi-
noris si non majoris videtur esse difficultatis, Rempubli-
cam gubernare, labantem stabilire, collapsam restaurare
valeat. Ista enim non minus ardua quām laudabilis pro-
vincia eorum ducata est, qui animum à vanis ac ludi-
cris negotiis avocatū in interiora legum penetralia pres-
sus defixerunt, atq; ex iisdem, tanquam certis principiis
atq; fundamentis, non per functioniam sed solidam Juris
ac Justitiae notitiam sibi compararunt. Hi, quanto in
recio sint habendi, velinde satis superq; constat, quod,
ubi fuerint legitimâ methodo progressi, referre in se
ipsis, præsertim si PIETAS utramq; paginam fecerit, æterni
Dei vestigia videantur. Quùm enim summum Numen,
tanquam fons Justitiae, res universas, prout sibi visum
fuerit, & quā lance dispenset, non possunt ab illius con-
sortio propè abesse, qui viribus omnibus hoc agunt, ut
supellestilem Legalis peritiæ, quam multo sibi labore
atq; industriâ pepererunt, prout occasio tulerit, colloca-
re aliquando in Reipubl. salutem cum laude queant. Ita
ergo cum sint composita ingenia, tum & recte appetunt
Hono-

Honores, benemerentibus debitos, quibus fraudar inefas & piaculum foret. Enim verò hujusmodi brabeis aut præmiis generosiores animi, quasi somite quodam ascenduntur, ansamq; arripiunt, ut dum securoram dignitatem ac gloriam oculis perpetuò obversantem, eminùs veluti è specula contuentur, hac ipsa contemplatione animati, asperiorib; in via virtutis, si quando occurrerint, ambagibus ac molestiis libentius se expediant, expediti verò ad excelsum Honoris culmen alacriter progrediantur; quin & ubi prosperis auspiciis eò devenerint, fores deinde satis patentes suoq; proposito accommodas offendant, quarum adminiculo expromere dotes ingenii & partam scientiam ad comune bonum insigniter conferre & explicare possint. In hanc rem cum maximum momentum conferat supremus literariæ dignitatis gradus, non est, quod is parvi aut flocci pendatur, multo minus, quæ frivolorum hujuscē seculi insolentia esse solet, pedibus quasi conculcerit; maximè si summi Dei gloriam & Reipubl. emolumentum respexerit, Cœtero-quin qui nudo titulo superbire, ac splendidis nominib; fucum facere imperitoribus, latagunt, revera autem, quales status exigit, se minimè tales præstant, præterquam quod sint propriæ salutis prodigi, id porrò etiam consequuntur, ut non honorem sed umbram honoris aucupari, prætereaq; nefandam suo ordini labem atque maculam aspergere videantur. Longè ab his abit Præstantissimus ac literatissimus Juvenis WULBRANDUS ADOLPHUS ROBBIGIUS AB HALLERSPRING, UFLENIA WESTPHALUS, J.U. Candidatus eximius, quem & jam

& jam ante res suas ita ordinasse atq; instituisse novimus,
ut præclarum in mundo Nomen esset, &, ubi jam publi-
ca studiorum inusitatæq; diligentia præmia acceperit,
hoc porrò impensis acturum confidimus, ut in Princi-
pum, Provinciarum, Rerum publ. salutem ac comodum,
quicquid unquam virium aut facultatum habuerit, con-
ferat, officiisq; sui partes ita modis omnibus expleat, ut
neminem non fateri necesse sit, nos non in indignum be-
neficia & honores publicos contulisse. Quis enim male
ominetur de eo, qui strenuâ semper ad virtutem gressus
viâ, eamq; studiorum rationem amplexus est, quâ vix ex-
cogitari quidem rectior aut elegantior poterat. Puerum
Parens *Vir Nobiliss.* Ampliss. & Consultiss. Dn. Justus
REINHARDUS ROBBIGIUS AB HALLERSPRING, JCrus, Co-
mes Palatinus, & Brunsvigo-Lunæburgicus Consilia-
rius, privatis Præceptoribus formandum dedit: Quum
usq; in 17. vitæ annum domi hæsisset, & jam solidior ætas
solidiores etiam profectus requireret, ad celebre Bre-
meniū Gymnasium, patre sic ordinante est missus, ubi
per integrum quadriennium commoratus & humanio-
rum literarū, & Juris præcipue, cui se totum consecrarat
fundamēta, manuductore Excellentiss & Consultiss. Viro
Dn. JOHANNE WACHTMANNO, J. U. D. & in dicto Bremensi
Gymnas. Prof. tūc temporis laudatiss. felicitè & ex animi
sententia jecit, Bremâ domum revocatus, & mox Paren-
tis consilio ad Academiam ERNESTINAM ablegatus,
per triennium eo loco Amplissimorum ac Consultiss. Vi-
torum DNN. PESTELII, BUCHOLTZERI, BRANDESII, &
SCULTZII, J. U. DD. & PP, Excellentiss, publicâ privataq;
infor-


informatione usus est, adeoq; Juris scientiam auxit, ut jam sum
quis quantusq; futurus aliquando esset, haud obscurè intelligere-
tur. Jam ante biennium ferè in ROSTOCHIENSE M hanc
Academiam nostram venit, abi omnium maximè ea egit, quæ
officii sui esse, & quem sibi proposuerat, fini obtinendo factura
esse videbantur; Publicas DNN. Juris Professorum lectiones
ac Disputationes audivit sedulò, nec privatim segnior, sed inter
diligentissimos fuit; Adeò nunquam è lateribus JURECON-
SULTORIUM discessit; unde nemini mirum esse debet,
CANDIDATUM nostrum ex seriâ & assiduâ STUDII JU-
RIDICI culturâ, continuaq; tot tantorumq; Virorum informa-
tione & perpetuò usu, ea haufisse, quæ Ductorum virtuti, erudi-
tioni, ac moribus conformia forent. Coeterum quantos in
JURE progressus fecerit, non divinare diu aut per rationes col-
ligere opus est, posteaquam Amplissimo Collegio nostro Juri-
dico, cui pro more consveto examinandum sese haud iia pridem
subjicit, satis explorata eruditioñis suæ testimonia depositit.
usque adeò ut dignum omnino judicaverimus, qui Summis in
Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis ornaretur: sed porrò
etiam, DEO volente in proximo actu publico Inauguralis Di-
sputationis, quam de BENEFICIO COMPETENTIAE,
materiâ humanitatis atq; benignitatis plenissimâ, eleganter com-
posuit, universis ac singulis, quâ magna gnavus Themidos cultor fue-
rit, luculentissimè demonstrabit. Ad cujus actus honorificam
& solennem frequentationem Plurimùm Reverendos, Consul-
tissimos, Experientissimos, Excellentissimos, Clarissimos
DNN. Professores, Doctores, Licentiatos, Verbi Divini Mini-
stros, Linguarum & Artium Magistros, Nobilissimum Studio-
sorum cœtum, aliosq; Literatos, Literarumq; Fautores, eâ, quâ
par est, diligentia, officiosè invitamus, omnibusq; & singulis vi-
cissim studia nostra promptissimâ mente offerimus.

P. P. ROSTOCHII, sub Sigillo Facultatis Juridicæ
10. Januarii ANNO 1658.

•(O)•



& jam ante res suas ita ordinasse atq; ut præclarum in mundo Nomen esse ea studiorum inusitatæq; diligentia hoc porrò impensius acturum confidit, Provinciarum, Rerum publ. salutem quicquid unquam virium aut facultatibus ferat, officiisq; sui partes ita modis omninem non fateri necesse sit, nos nobis & honores publicos contulisti ominetur de eo, qui strenuâ semper a via, eamq; studiorum rationem amplius cogitari quidem rectior aut elegantius. Paren's *Vir Nobiliss. Ampliss. Et Consiliarius* REINHARDUS ROBBIGIUS AB HALLERUS Palatinus, & Brunsvigo. Lunætrius, privatis Præceptoribus formatusq; in 17. vitæ annum domi hæsisser, solidiores etiam profectus requirere mensum Gymnasium, patre sic ordinatus per integrum quadriennium communum literarū, & Juris præcipuè, cui se fundamēta manuductore Excellentiss. DN. JOHANNE WACHTMANNO, J. U.D. & Gymnas. Prof. tūc temporis laudatiss. sententia jecit, Bremā domum revocatis consilio ad Academiam ERNESTI per triennium eo loco Amplissimorum DNN. PESTELII, BUCHOLTZI, SCULTZII, J. U. DD. & PP. Excellentiss.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.